11/17-006

Gratz 1 Martii 1849

Celeberrime Domine Professor.

Litteras Tuas accepi, atque gratias ago pro adnotationibus in schedula factis.

Mitto Tibi fasciculum plantarum in Dalmatia lectarum, quarum nonnullas Tibi gratas fore spero. Addidi catalogum harum plantarum, quem ut cum adnotationibus benigne factis remittas quaeso. —

Lathyrus vicioides, (cujus hoc unicum exemplar possideo, quodque ut iterum remittas rogo,) certe singularis species est, L. bithynico Lam. proxima, sed teneritate omnium partium, stipulis parvis subdentatis (nec grandidentatis ut in bithynico), foliolis bijugis lineari-lanceolatis, cirrho simplici. — Detexit Neumayer

crescit cum specie (L. bithynico) cujus est varietas minor

Selinum Seguieri Pelleri, jam prius missum, quod pro Cnidio apioide habes, tamen alia planta videtur. Comparavi iterum cum planta germanica, Tibique etiam exemplar germanicum comparationis gratia mitto. Videtur esse Cnidii species, sed forlassis nova, aut in operibus recentissimis descripta.

Lubentissime Tibi et alias a Te designatas plantas communicabo, quae ad opus Tuum egregium perficiendum necessariae sunt.

Addidi porro catalogum plantarum dalmaticarum a me desideratarum, quas si benevole communicare velles, me gratissimum redderes.

Quando volumen tertium operis Tui, omnibus Botanices cultoribus exoptatissimum in lucem prodibit?

Adnotationes et corrigenda in Enumerationem meam gratissimo accipiam animo.

Lubentissime semper omnibus Votis Tuis respondere conabor, rogans, ut oblata benigne accipias faveasque

Tuo Devotissimo

Dr Jos. Maly

Phagnalon saxatile DC.

una cum exemplaribus P. rupestris exemplar unicum e Dalmatia accepi